FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

DE SATISFACTIONE

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

ventũ erit, non necessarias difficultates ostendere ac remouere annitemur. Tunc ad tertiã pœnitentiæ partem, quę satisfactio est, properabimus.

DE SATISFACTIONE

Tertia pœnitentiæ pars satisfactio.

RESTAT ex pœnitentiæ partibus tertia, nempe satisfactio. Principio dubium non est, vocabulum satisfactionis ex publico ecclesiæ vsu frequentari cœptũ esse, pro castigatione seu pœna, quę secundum vniuscuiusque pœnitẽtis & confitentis culpam ab episcopo vel sacerdote indicitur, quãuis nũc hoc vocabulũ latius vsurpemus. Quæ oĩa vt dilucidiora fiãt, duplex omnino est in ecclesia satisfactio. Vna, meritoria remissiõis peccatorũ & abolitoria mortis æternæ: hæc soli Christo tribuitur, qui dedit semetipsum pro nobis vt redimeret nos ab omni iniquitate, factus ꝓpitiatio pro peccatis nostris, & nõ tãtũ pro nostris, sed & pro totius mundi, vtiq; quod ad sufficientiã attinet, licet nõ quantum ad efficientiã, quòd non omnes sibi hunc satisfactionis Christi fructũ applicari curẽt. Applicaẽ siquidẽ hæc satisfactio à Deo per verã contritionẽ & fidẽ, cuius certũ testimoniũ est, absolutio sacramẽtalis sacerdotis, quæ docet nos hãc tribuere debere deo, nõ nostris operib⁹. Nã nullus omnino hominũ poterit vel pro culpa vnius peccati mortalis satisfacere, & pœnam æternã suis meritis abolere. Ergo nõ in merito cõfitentis, sed in nomine Patris & Filij & Spiritus sãcti sacerdos confitentẽ absoluit. Preterea de abolitione æternę mortis legimus: Aculeus mortis, peccatum. Deo autẽ gratia qui dedit nobis victoriam per Dominũ nostrum Iesum Christum. Verùm quum ex diuinis literis cõpertũ sit, post remissionem peccati (quę solius Christi beneficio nobis cõtingit) adhuc quasdam præteritorũ peccatorum reliquias in anima hęrere: deinde remissa culpa, nõ statim omnem remitti pœnam, sed tantum pœnã æternæ mortis quam etsi Deus in iustificatione hominis cõdonet, eius tamen loco temporariam pœnã frequenter substituit: idcirco patres viderunt alia quadã purgatiõe (culpa etiamnum remissa) & ad expiãdas pręteriti peccati reliquias, & ad mitigandas seu tollẽdas temporarias illas pœnas, nobis adhuc imminẽtes, opus esse,

Duplex in ecclesia satisfactio. Tit. 2.

1. Ioan. 2.

Remissio peccatorũ quomodo applicatur per Christum.

1. Cor. 15.

Post remissa peccata remanent quædã reliquiæ peccati.

Item, non remittitur semper omnis pœna temporaria, sed æterna tãtum.

quam

quam pœnitentiæ ſatisfactionem appellarunt. Poſt remiſſum peccatũ, peccati reliquias remanere, quas deleri oporteat, Dauid teſtis eſt. Nã etſi Natham remiſſionem peccatorum Dauid annuntiaſſet, dicés: Dominus dimiſit peccatum tuum, nihilo ſecius tamen Dauid adhuc orat, vt Dominus ſecundum multitudinẽ miſerationũ ſuarũ deleat iniquitatem eius: vtq; amplius lauet eum ab iniquitate, & à peccato mundet, hoc eſt vt non tantum remittat culpã, ſed & decorem priſtinum reſtituat. Atque eadem omnino ratio eſſe videtur in diluẽdo peccato actuali, quę eſt in diluendo originali. Originalis peccati reatus in baptiſmo remittitur, attamẽ reliquiæ eius, nimirum fomes ille manet, quẽ tota vita piis exercitiis mortificare & eradicare oportet. Sic actuale peccatũ per fidẽ quidẽ in Chriſtum, merito paſſionis eius remittitur, attamẽ adhuc quidam veluti fomes ſeu quædã reliquię in anima manẽt, quas ſalubri ſatisfactione purgare neceſſe eſt, præſertim quum pręteritum peccatũ in cõſuetudinem quandam abierit, quæ quum altius radices iecerit, multa ac longa purgatione opus habet. Lauari quidem citò poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa, quam contrariis oportet adhibere remediis, quemadmodum diuus Paulus apoſtolus ait: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ. Quod cùm facimus, ſatisfactionẽ pœnitẽtiæ agimus. Satisfactio enim pœnitẽtię (vt beatus Auguſtinus ait) eſt cauſas peccatorum excidere, nec earũ ſuggeſtionibus aditum indulgere. Et vt vir quidam iuxta pius ac doctus monet: Omnis anima Chriſtiana cordis ſui interna diligenter diſcutiat, viderit, ne quid ibi diſcordiæ hæſerit, ne quid cupiditatis inſederit: incontinentiam caſtitas procul pellat, mendacij tenebras lux abigat veritatis, detumeſcat ſuperbia, humilitas aſſumatur, reſipiſcat iracũdia, & obtrectatio linguę frenetur, ceſſent vindictæ, & obliuioni mandentur iniuriæ: omnis deniq; plãtatio quam non plantauit pater cœleſtis, radicitus auferatur. Atque hoc ipſum eſt, quod Ioannes præcepit, dicens: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Dignos autem fructus pœnitẽtiæ, faciamus, (vt diuus Chryſoſtomus ait) ſi commiſſis peccatis aduerſa faciemus: aliena rapuiſti? incipe donare iã propria]: longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vſu ſuſpendere coniungij, ac perpetuam continentiam ſæpius pau-

Chryſoſt. in pſal. 50
2. Reg. 11.
Pſal. 50.
Collatio originalis peccati ad actuale.
Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in mont.
Grego. in Iob.
Berna. in ſer. de cœna Domini.
Roma. 6.
Satisfactio pœnitẽtiæ quid
Auguſt.
Leo ſerm. de quadrageſim.
Matt. 15.
Ioan. 15.
Matth. 3.
Chryſoſt. Digni fructus pœnitẽtiæ qui.

corum dierum castitate meditare: iniuria vel opere quanq; vel sermone affecisti? refer benedictionis verba: conuitiis te percutientes, nunc officiis, nunc beneficiis placare cõtende. Neq; enim vulnerato sufficit tantũmodo ad salutem, spicula de corpore euellere, sed etiã remedia adhibere vulneribus oportet: deliciis antè & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrunque compensa, vt famen superes imminentẽ. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? fœminã iam omnino nõ videas, maiori tactus cautione post vulnera. Hæc ille. Vocarunt ex recentioribus quidã inter quos est Anselmus, hæc opera indebita, non improbanda prorsus ratione, si candidè accipiantur. Sũt enim & digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitẽtibus, quòd pœnitentia grauiores expostulet, nempe vt pœnitentes non tantum ab illicitis, sed etiam licitis temperemus: tunc enim virtutum semina in nobis bene nutriuntur, quando ab agro cordis nostri omne germen externum euellitur. Hęc itaque pœnitentiæ opera, quibus non tantum ab illicitis, sed etiam à licitis temperatur, et se quidem indebita quis non absurdè dixerit, licet interim pœnitenti necessariò peragenda sint, veluti voluntariè vel recepta, vel à præsidibus ecclesiæ ex clauium concreditarum potestate imposita: eatenus enim debita efficiuntur.

Opera satisfactionis indebita cur dicta.

Anselm.

August.

Leo ser. de quadrag.

Non statim abolita culpa, aboletur omnis pœna.

CAeterum per remissionẽ culpæ peccati actualis, nõ statim etiam aboliri omnem pœnam temporariam, nõ magis absurdũ est, quàm quod abolito peccato originali per baptismũ, non simul tamen aboleantur eius peccati pœnæ, quæ sunt omnia corporis incõmoda, atq; adeò mors ista corporalis. Certè Dauid locupletissimus testis est, omnino discerni debere remissionẽ culpæ à remissione tẽporalium pœnarũ, quod ipse etiã exemplo sit, restare eam pœnã post remissam culpam, quemadmodum docet secũdus liber Regum. cap. 12. & 24. Quin hoc luculenter satis Exod. 32. & Numer. 14. & plurimis aliis in locis comprobatur. Has pœnas quadam pœnitentiæ nostræ satisfactione mitigari ac tolli, diuus Paulus testatur, inquiens: Si nosipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. nam hic à domino iudicari, significat castigari pro peccato: quod subintulit Apostolus, qui ait: Dum iudicamur autem à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Et alibi scriptũ est: Si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locustæ, vt deuoret terram,

1. Cor. 11.

2. Par. 7

terram,& misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomé meum deprecatus me fuerit,& quæsierit faciem meam,& egerit pœnitentiam à viis suis pessimis,& ego exaudiã de cœlo,& propitius ero peccatis eorum,& sanabo terram eorum. Item: Cõuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. Huc pertinet & illud. Eleemosynæ liberant à peccatis. Et quod Danielis quarto scribitur, vbi legimus Danielem consuluisse Nabuchodonosori, vt peccata sua eleemosynis,& iniquitates suas misericordia in pauperes redimeret. In quibus locis appellatione peccati, pœna peccato debita venit.

Ioel. 2. Tob. 4. Dan. 4. Peccatum pro pœna peccati debita.

PRęterea curę sacerdotũ incumbit, vt explorent pœnitẽtiũ animos, an scilicet ex animo resipuerint, vel tantum fictè, hoc est verbis tantum, non autem affectu ac re ipsa. Dolor enim vnius cordis occult⁹ est alteri, nec facilè in aliorum notitiam procedit. Ergo satisfactione etiã externa opus est, vt sacerdoti animus pœnitentis innotescat. Item in ecclesia disciplinã esse oportet, maximè in coërcẽdis publicis delictis, qua fiat etiam satis ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur illa. Denique, vt cæteri à flagitiis dehortentur.

Aliæ satisfactionis rationes. Augu. in Enchir.

QVamobrẽ in ecclesia semper obseruatum est, vt episcopi ac sacerdotes ecclesiis præpositi, resipiscere cupientibus secundũ criminum ac delictorum modum, pœnitentiã darent, hoc est pœnitendi tempus cõstituerent, ac castigationes & opera quædam pia, quæ ad eluendas pręteritorũ peccatorum reliquias & cõmonstrandum peccatoris animum, quã maximè idonea viderentur) imponerent. Idque non potestatem humana vsurpatum est, sed potius diuina, nimirum apostolis & eorum successoribus per Christum tradita hisce verbis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c. quod euidentissimè doctissimus ille pontifex Leo hisce verbis (quæ supra attulimus) testatur: Mediator Dei & hominũ, homo dominus Iesus Christus, hãc præpositis ecclesiæ dedit potestatẽ, vt pœnitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Quicquid ergo seueritatis pœnitens aut voluntarie, aut iniunctum in se reciperet, vel pro peccati reliquiis expiandis, vel pœnis temporariis mitigandis vel tollendis, vel ad animum pœni-

Vetustissimus ecclesiæ mos. Satisfactio imponitur authoritate diuina. Leo magnus. De pœ. d. 1. c. sufficit. & c. quanuis. Pniæ satisfactio quid patribus. Satisfactiõe pẽsãtur quo-

dammodo præterita delicta & pœnæ.

Chryso. in Matthæũ

Amb. ad quãdã virginẽ corruptam.

Hiero. in Malachiã

Am. li. 2. de pœ. c. 5.

Tropo quòdã pœnitẽtia dicitur compẽsare pœnas gehennæ.

Amb. ad virginem corruptã.

Olim non restituebatur cõmunio ante expletã satisfactionem.

Vide Cy. de lap.

Cõci. Nicæ. et Cartha. 4. ca. 76. 77. & 98. et

tente homine dignum declarãdum, vel vt ecclesiæ satisfieret, patres pœnitẽtię satisfactionẽ, atque adeò pœnitentiam vocare non sunt veriti. Nec dicere dubitarũt, his satisfactionibus præterita delicta & pœnas inde imminentes quodammodo compẽsari, peccata purgari, tegi ac iudicem (quominus de nobis præteritorum peccatorum vltionem sumat) placari: nõ quòd opera ista satisfactoria remissionem culpæ aut æternæ mortis mereantur, (nam hoc est proprium Christi meritum ac beneficium, ipsius etiam virtute nobis per fidẽ & sacramẽta applicandũ) sed quòd à conuersis facta, iam placeant Deo, mutuentúrque iam aliquid meriti non ex se, sed ex merito & satisfactione Christi, ad diluẽda peccata, hoc est peccatorum reliquias & pœnas. Beatus Ambrosius hæc duo disertè discernit, Remitti iniquitates, & tegi peccata. Vtrumque (inquit) beatum dixit Dauid, & cui remissæ sunt iniquitates, & cuius peccatum tegitur bonis operibus. Qui enim agit pœnitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum, sed etiam emẽdatioribus factis operire & tegere delicta superiora, vt nõ ei imputetur peccatum. Hæc ille, respiciẽs (vt putamus) in id quod diuus Petrus ait: Charitas operit multitudinem peccatorum. Quòd autem veteres interdum futuras gehennæ pœnas perpetuas, per pœnitentiam in hoc paruo vitæ spatio compensari dicunt, id non de merito operum istorum, quę satisfactoria appellamus, intelligendum est. Nam horum meritũ & dignitas se eo non porrigunt, vt quod solius Christi glorię ac merito asscribitur, ipsis ex debito tribuatur. Qui priusquam incipias hæc opera peragere, iam in interiori pœnitentia culpã remisit Deus. Illud ergo rectius de tota pœnitentia intelligitur, quæ tropo quodam compensatoria est æternę mortis, eo scilicet, quòd nisi pœnituerimus, in æternum pereamus: non quòd dignitas nostræ pœnitentię mortem æternam aboleat, sed quòd Deus non aliter quàm per pœnitẽtiam tantum beneficium nobis impartiat. Interim quoque memorandũ est (quod & supra dictum meminerimus) in veteri ecclesia canonicis institutis cautum fuisse, non aliter reconciliandos, nec ad communionem admittendos pœnitẽtes, quàm post peractam pœnitentiam, nisi tamẽ necessitas coëgisset, & periculũ mortis institisset. Deinde vt eis, si qui post baptismum omni tẽpore vitæ suæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam exposcerent, pœnitentia ab ecclesiæ

clesiæ antistitibus daretur. Ac postea placuit, eis etiam communionem ac vltimum illud ac necessarium viaticum concedi. Id tamen certa lege agebatur, nempe sub ea conditione, vt si eis dominus vitam donauerit, sanitatemque reddiderit, secundum delicti qualitatem & canonum instituta pœniteat. Hodie lōge remissius agitur cum pœnitentibus. Nam exceptis atrocissimis criminibus, publicè in totius ecclesię scādalum commissis, (quæ etiamnum publicè expiari conuenerit, antequam criminosus ad communionem rursus admittatur) pro cæteris certè delictis ante absolutionem imponitur quidem, sed exigitur satisfactio, nimirum post absolutionē compléda. Hoc ergo solum ecclesia (nos admodum mititer & indulgenter tractans) nunc respicit, si congruā satisfactionem non negligamus, sed agendam recipiamus, ac curemus: ferēda quidem hæc lenitas, sed interim videāt sacerdotes, ne quū in consideranda ac exploranda vita pœnitentiū post absolutionem omnino incuriij fuerint, haud postremus ille satisfactionis finis, negligatur.

Mogūti. c. 2. & decreta Pii. Præsentis ecclesiæ indulgentia. Hodie post recōciliationē satisfactio expletur.

Augu. in Enchir. c. 70.

EX prædictis ergo perspicuū est, ecclesiam in pœnitente præter confessionem duo requirere: In primis, propositum, deinceps non peccandi, quod in contritionem superius inclusimus, quemadmodum Christus ad mulierem in adulterio reprehēsam, dixit: Vade, iam amplius noli peccare. Quod votū sequi debet bonæ cōscientiæ iustitia ac noua vita, quēadmodum Apostolus dixit: Debitores sumus nō carni vt secundum carnem viuamus, &c. Deinde etiam præter hæc exigit satisfactionem pro preteritis delictis, secundum eum modū, quē in ecclesia Præsidens pœnitenti præscripserit. Quāobrem diffinit, non sufficere mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam, de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem. Nō enim tantum dictum est, Fili, peccasti? non adiicias iterum: imò adiectum est, Sed & de pristinis deprecare (dominū) vt tibi dimittatur. Qui dicunt hoc Ioannis Baptistæ præceptum, Facite fructus dignos pœnitentiæ: tantum de bonis operibus alioqui debitis, nō de satisfactoriis & pœnitentibus propriè dignis, intelligi debere, ij nō tantum suo more veterum interpretationem ac sententiam in hunc locum, quem supra retulimus, temerè reiiciunt, sua suffecta, sed etiam verbis eiusmodi mandati minus consentanea adferunt, quòd nemo non intelligat, alios esse

Ecclesia præter propositū non peccandi requirit satisfactionē Ioan. 8. Iustitia bonæ conscientiæ. Roma. 8.

Eccle. 21 Obiectio. quorundā. Ioan. 3. Pœnitenti non sufficit edere quoslibet bonorū operum fructus.

bonorum operum fructus, vnoquoque Christiano dignos, alios verò, pœnitente dignos. Nam illi boni hominis ornamenta sunt, hi verò etiam remedia pro peccatis. Quamobrẽ Chrysostomus homilia octogesima docet, Nõ à pristinis tãtùm malis desistere, sed etiam meliora sequi officia, rectè pœnitentiam dici: nec ad sanitatem satis esse nobis, extraxisse tantum sagittas, verum & medicamenta vulneri esse imponenda. Et vt Augustinus ait, Non tantum in melius est vita mutãda, sed & per eleemosynas de peccatis preteritis est deprecandus Deus. Miserando quidem delet iam facta peccata Deus, sed si satisfactio cõgrua non negligatur. Certè Cyprianus hæc opera pœnitentiæ non dubitet redemptiones delictorum & ablutiones vulnerum appellare. Verum quod nouatores illi has satisfactiones, scholasticas appellant, & è numero traditionum humanarũ (quibus coli nolit Deus) faciũt, atq; adeò dicunt per easdem opera bona verè obrui, præterea, satisfactiones quarum meminerunt, Ecclesiastici scriptores & Concilia, nihil aliud fuisse, quàm quendam polliticum morem ecclesiæ, humana authoritate exempli tantum causa ad dehortando cæteros à flagitiis, non etiam ad expiationem veterum reliquiarum, aut etiam pœnarũ institutũ. Hæc qua ratione illi dicãt, non videmus. Nam supra satis ostendimus, sacerdotem mandatum habere non tantum remittendi, sed & ligandi. Et si verum est, has satisfactiones humanitus tantum inuẽtas, quid est quod Cyprianus dixit, se in remittendis delectis plusquã oportet penè delinquere? nimirum significãs, se leuiori satisfactione quàm euangelicum mandatum de remittendis peccatis permittere videatur, confitentes recipere solitum, idque suggerente prõpta ac plena dilectione. Quid quod euangelium postulat, vt euangelij preco pœnitentibus iniungat, vt faciant fructus dignos pœnitentiæ? Id verò miramur, quomodo illis in mentem venerit vt dicerent satisfactionibus ecclesiasticis obrui opera verè bona, cum patres omnes satisfactiones, quas plurimis canonibus (vt vocãt) pœnitentialibus sunt complexi, tribus operibus quãmaximè euangelicis cõtineri dicant, nẽpe oratione, ieiunio, & eleemosyna. Et rectè quidem. Nam cũ omne quod in mundo est, aut cõcupiscẽtia carnis, aut oculorũ sit aut superbia vitę: quis nõ videt concupiscentiæ carnis, nulla re melius quàm ieiunio, cõcupiscentiæ oculorum (quæ auaritia est) quàm eleemosyna, &

Cryſoſ. in homil. 80

Augu. in ench. c. 70

Cypria. in epiſtol. ad Anto.

Refellunturaduerſarij.

Satisfactiones eccleſiaſticas non eſſe numerandas inter traditiones mere humanas.

Cypria. ad Cornel. papam.

Matth. 3.

Oratio. Ieiunium Eleemoſyna.

na, & fastui vitæ, quàm humili ac pia oratione mederi? Adde quòd omnis ferè peccator, & in Deum & in proximũ & in seipsum peccet. Oratione itaque, quod in Deum commissum est: eleemosyna, quod in proximum: ieiunio, quod ĩ seipsum peccatum est, quodammodo expiatur. Quod verò aiunt satisfactiones de quibus patres meminerunt, apud Deum nihil valere, vel ad expiationem reliquiarum, vel pœnarum pro delictis debitarum, sed tantum exempli causa imponi solitas, in hoc ex diametro cum patribus pugnantia dicunt, quemadmodum ex superioribus liquet. Denique demiramur, q̃ putant satisfactiones (quæ hodie priuatim ac secreto imponuntur) nihil habere cum vetustis illis commune, perinde atque veteribus nulla secreta satisfactio cognita fuerit, quum vel solus Augustinus idoneus testis sit, in ecclesia veteri nõ solum publicam, sed & secretam satisfactionem in vsu fuisse, scribens in hæc verba: Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & (vt subiicit) secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus. Verum mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & iugi, imò perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat, vt contraria pro his quæ pœnitet, agat. Meminit quoque Leo priuatæ successionis ad Rusticũ Narbonensem Episcopũ.

1. Ioan. 2. Peccator, in Deum, proximũ, & seipsũ peccat.

Patrũ sentẽtia satisfactiones apud Deũ nonnihil momenti habere.

Veteris nostræ ecclesiæ consensus.

Augu. de eccl. dog. cap. 53.

Secreta satisfactio.

Veteri ecclesiæ nota.

Leo ad Rusti. Narb. episcopũ.

NOn ignoramus tamen, apud veteres satisfactionem publicam & frequentiorem & patribus gtatiorem fuisse, quàm priuatam, quòd interna satisfactio non facilè innotesceret ecclesiæ præpositis. Proindéque eandem impositam etiam iis qui secreto essent maiora crimina cõfessi, quemadmodũ Sozomenes in Tripartita testatur historia, & nos supra diximus. At planè absurdum nobis apparet, ob id quòd ecclesia indulgẽtius agens, seueritatem illam publicę satisfactionis remiserit, idcirco etiam omnem satisfactionem iam prorsus planè abolitam esse oportere. Nam si sacerdos, spiritualis medicus censendus est, si apta remedia pro modo & cõditione cuiusq; morbi adhibere, si inter soluendos & ligandos discernere debet, idq; ex mandato Dei: planè desipit qui putat eum debere pœnitenti nulla prorsus imposita satisfactione,

Publica satisfactio veteribꝰ gratior et frequentior.

Sozomenes in Tripartita histo. lib. 9. cap. 35.

Satisfactio ĩ ecclesia nõ est abolita.

Veteres ritus quoad fieri potest reuocandi in vsum.

Patrum diligentia ac prudentia.

Vide cõci. Ancyranum & Nicæ. 1.

Audiẽtes Conc. Aphri. 4. ca. 84.

vt episcopus qui est Catechumeni.

Cõc. Ancyra. c. 16.

Energumeni.

Diony. Areopagita.

Cõc. Ancyra. c. 17.

Communicantes, sed sine oblatione.

Perfectionem recipientes.

præproperè manum imponere. Potius docendum erat, quòd huius tempestatis omnium scelerum lue corruptissimę ratio quammaximè postulabat, vt ad præscripta patrũ (quoad fieri posit) regredi anniteremur, q̃ vt magis adhuc laxatis habenis ecclesiasticæ disciplinæ, ex pœnitentia rem planè ridiculam faceremus. Certè iucundum est videre, q̃ fuerint patres in remediis istis imponendis soliciti, prudentes, ac discreti. Non vno collyrio omnium oculos sanabãt, non eadem seueritate quælibet crimina expurgãda putarunt, non eadẽ tempora pœnitendi quibuslibet statuebant, non omnes qui pœnitentiam recipiebãt, in vnam classem relegabant, non eadẽ indulgentia in tempore pœnitentiæ impositæ moderando, erga quoslibet (citra omne discrimen affectus pœnitentium) vtebãtur, sed grauiora crimina, acerbiori, duriori, ac diuturniori, leuiora vero mitiori ac breuiori pœnitentia vindicabant. Qui lapsi fuissent, participes idolorum facti, inter audientes cõstituebantur. Audientes erant, quibus tantum auditioni verbi interesse licebat. Interesse autẽ, & eam ob causam ecclesiam ingredi, atq; ibi vsque ad Missam catechumenorum permanere, quibuslibet siue Gentilibus, siue Iudæis, siue hæreticis permittebatur. Sed catechumeni, qui & audiẽtes dicebãtur, post concionem manebant, donec sacerdos ad consecrationẽ Eucharistiæ pergeret. Ergo ea pars Missæ quę canonem antecedit. Missa catechumenorũ dicebatur, quemadmodum indicat Conciliũ Carthaginense quartum. ca. 84. Quòd si qui in fœdissima crimina proruissent, veluti qui cũ pecoribus coitu miscentur, hi tanquam à dæmonibus correpti, in classem energumenorum relegabantur. Erant autem energumeni, qui prius quidem sacris participarunt, sed postea in grauissimas tentationes incidentes, à dæmonibus vexabãtur: dicti energumeni, quòd terriculamentis spirituum immundorum, veluti tempestate quadam iactarentur. Posteaquam vero isti rei tempus constitutum, vel inter audientes, vel inter energumenos secundum delicti rationem complessent, in ordinem pœnitentium (qui sacris quidem intererant, sed arcebantur à cõmunione) recipiebantur, oratione tantum cum ecclesia cõmunicaturi: dein sacramentis reconciliabantur, & cõmunionem recipiebant, sed sine oblatione. Prostremo perfectionem pœnitentiæ recipiebãt, & quasi in integrum per manus impositionem restituebantur. Idq; non aliter,

aliter, quàm vita ac conuersatione eorum toto illo tempore per præpositos ecclesiæ diligēter prius inspecta, perpensa ac considerata, quemadmodū ex antiquissimis Conciliis, præsertim illo primo Nicæno ac Ancyrano, videre est. Denique in actione pœnitentiæ (vbi tale crimen cōmissum erat, vt is qui cōmiserat, à Christi etiam corpore separaretur) non tam episcopi considerabant mensuram temporis q̄ doloris, abbreuiantes interdū constitutæ pœnitentiæ tempus, si modò ardorem conuersionis in pœnitente considerassent. Refrigescente quoq; subinde charitate, constitutus est modus redimendi rigorem canonis pœnitentialis, nempe vt ieiuniū redimeretur eleemosyna aut oratione, quemadmodū libri vetustissimi canonum pœnitentialium (qui apud nos seruātur) declarāt: quæ est radix indulgentiarum pontificiarum, quæ nihil aliud sunt, q̄ canonicarum satisfactionum condonationes aut redemptiones, illis temporibus magis congruentes, quū adhuc pœnitentiæ illæ canonicæ in ecclesia vsitatiores essent. Atq; vtinā eiuscemodi indulgentiis nō fuissent abusi, qui eas dispensandas receperant. Iam eò deuentum est, vt vix vllus sit cōfessarius sacerdos, qui veterum canonū vllam notitiā habeat: multo minus vt ad earū normam satisfactionis modum imponat, nimirum hominū malitia veterem seueritatē non sustinente, sed magis in omnem licentiā ruente. Vt autem seueritatem illā non reuocemus in vsum (quod nec nostrum est, nec an expediat, satis compertum habemus) hoc tamen à sacerdotibus cōfessariis requirimus, vt diligenter cōsiderata morbi radice, idoneum adhibeant medicamentum, vel indictionis ieiunij, vel eleemosynæ, vel orationis, doceāntq; ex cap. 5. Matthæi confitentem, quo pacto ipsi ieiunandum, eleemosyna tam spiritualis q̄ corporalis indigenti impertienda ac danda. Deniq; quomodo orādum sit. Quod si fecerint illi, & vicissim pœnitentes in simplicitate cordis verbo sacerdotis vice Christi fungentis obedierint, non dubium opus eorum futurum Deo bis gratum, tum q̄ sit suaptè natura pium, tum quòd habeat obedientiam (quæ omnium virtutum mater & fons est) sibi coniunctam. Vnde quoque consequitur, eos non satis sibi constare, qui putant tota pœnitentia pœnas temporales mitigari, his verò satisfactionibus ecclesiasticis nequaquam: quasi hæ nullam resipiant pietatem, cum alioqui pietatis plenæ sint, si tamen per expertum

Vide cōci. Nicæ. & Ancy.

Aug. in ench. c. 65

Modus redimēdi satisfactiones ecclesiasticas.

Radix indulgentiarum pontificiarum.

Indulgentiarum abusus.

Imperitia sacerdotū.

Admonētur sacerdotes confessarij officij sui.

Satisfactio quæ ritegeritur, opus Dei his gratū.

magistratum adhibeantur.

Vetus satisfactionum vsus retinẽdus est.

NEc minus displicent nobis, qui satisfactiones istas aliò trahunt, aut eis plusquam oportet, tribuunt, veluti qui in satisfactiones istas etiam culpæ remissionem, aut mortis æternæ abolitionem transferunt, aut earum respectu cætera bona opera, quæ Deus præcepit, parui pendũt. Singula enim singulis disertè tribuenda sunt, ac populus de fine vtriusque satisfactionis planè ac diligenter docendus est ac instruendus. Satisfactio propitiatoria culpæ, & abolitoria æternæ pœnæ, soli Christo tribuenda est, quam tamen non applicat nobis, nisi per contritionem & fidẽ, & quæ ipse instituit sacramenta. Satisfactio vero canonica, tantũ medetur peccati reliquiis, & mitigat pœnã temporalem: idque non ex dignitate sua, sed ex beneficio Christi, qui opus suum à se præceptũ præsertim obedientiam (quam suo vicario in re sibi mandata præstamus) coniunctam habens in nobis agnoscit ac accepta, si tamen non pharisaico more, hoc est tantum externè, sed in spiritu & veritate, hoc est internè secundum regulam euãgelicam peragatur. Dicimus itaq; his satisfactionibus mitigari atque etiam purgari pœnas temporarias, modò, tamen ex fide proficiscantur. Scimus interim pœnarum reseruationem neminem ad integrum nosse, nisi cui pater omne iudicium tradidit, Christum Iesum: quemobrem pœnarũ discussio, & exactum iudicium Deo relinquendum est: nostrũ autem est, citius peccatum emẽdare & pœnitere, præterita lugere, futura caũere, & (vt ille ait) veluti filios maternorũ mẽbrorum, ordine custodito, à præpositis sacramentorum, non secus atq; ab ipso Christo, satisfactionis modum accipere, & cum bona fiducia expiandæ nos manentis pœnæ exoluere. Quæ de satisfactione, atque adeò de tribus pœnitẽtiæ partibus dicta, suffecerint. Qui plura desiderauerit, veteres consulat, quibus hæ tres partes quàm cognitissimæ fuerunt: adeò, vt eius demum hominis perfectam pœnitẽtiam pronunciarent, in cuius corde contritio, in ore confessio, & in opere tota humilitas esset. Admonitum tamen lectorem volumus, singulas pœnitentiæ partes interdum generali nomine pœnitentię appellari. Contritionẽ enim, & confessionem item, pœnitentiam vocamus, in quibus Deus delet culpam: satisfactionem etiam pœnitentiam vocamus, in qua Deus remittit temporariam pœnam, quanuis interim constet, apud ipsos

Populus clare docẽdus de fine satisfactiõis propitiatoriæ & ecclesiasticæ.

Satisfactio nostra ex beneficio Christi efficax.

Ioan. 4.

Cypria. de lap.

Ioan. 5.

Chrysost.

Singulæ partes pœnitẽtiæ, pœnitẽtia dicuntur.

Vide collecta. Græcarum Synod. c. 23. & Toleta. 1. cap. 2.

ipsos veteres, satisfactionē illam publicā, passim ac ferè tantum, pœnitentiam: & pœnitētes, tantum qui publicè pœnitēt, appellari solitos: quod in veterū lectione retinendū est.

Interior pœnitētia suo modo tribus partibus constat.

IAm ad pœnitētiæ species veniendum. In primis itaq; pœnitētia in interiorem & exteriorē diuiditur. Interior etsi propriè in cōtritione sita sit, tamen docendi causa quis haud ineptè dixerit, eam dē etiam tribus illis partibus suo modo cōstare: nēpe contritione, nimirū veris illis internis doloribus, confessione, vtiq; nō externa sed interna illa agnitione peccati, quæ magna fiducia accipiendæ misericordiæ erga Deū peragitur: satisfactione verò, nimirum syncero illo voto deinceps non peccandi, sed vitam in melius commutandi. In hac interiori pœnitētia, si tamen idonea fuerit, iustificationem hominis fieri, & per fidem à Deo accipi constat.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS.

ET QVANQVAM supra ex penitissimis, vt speramus, fundamētis docuerimus, quo ordine ad iustificationem perueniatur, quomodo per Deū in nobis fiat, quo pacto per fidem (non tamē sine spe & charitate) accipiatur, & cui tribuenda sit: nihilominus, quia hæc materia hac tempestate maiori cōtentionis quàm pietatis studio controuertitur, idcirco annitemur ipsissimam veritatem ex limpidissimis scripturę fontibus altius eruere, & ecclesiæ sententiam, quod in nobis est illustriorem reddere. Arbitramur autem ecclesiæ sententiam in hac tanta re eam solam esse cui apostolicarum scripturarū patrocinatur authoritas, cui patres subscribunt, quam vniuersa ecclesia cuiuslibet tēporis comprobat, & quam omnes pij non tantum asserunt, sed & mente sentiunt, ac experiuntur ipsam veritatem esse.

Ecclesiæ sententia quæ existimanda sit. Iren. li. 4. contra hære. cap. 63 & 45.

VT autē ad rem ipsam accedamus, Iustificatio duo propriè complectitur, nempe remissionem peccatorum, & interioris mentis renouationem seu repurgationē. Nec repugnamus, vt quis addat & tertium, nempe donationē vitæ æternæ, modò intelligas, eam in nobis per iustificationem & gratiam Dei in hac vita magis inchoari, & spe accipi, q̄ perfecte dari, expectandam tandem post mortem tēporalem, cū Deus gloriam suam quam promisit, in nobis reuelabit. Qui

Iustificatio duo cōplectitur.